

PRINCIPINA, GENUS NOVUM CYPERACEARUM
AFRICANUM

auctore

H. UITTEN.

Principina Uitt., nov. genus Cyperacearum.

Culmi robusti, foliati. Folia lata, linearia, trinervia. Inflorescentia corymboso-paniculata, multispiculata. Spiculae ("spicae" multorum auctorum) parvae, multiflorae. Flores hermaphroditi ("spiculae androgynae" auctorum) perianthio utriculiformi, compresso, vix carinato, staminibus ("floribus masculinis monandris" auctorum) tribus, binis lateralibus tertio anteriore, ovario ("flore foemineo terminali nudo" auctorum) rostrato, basi angustato, haud stipitato, styli ramis ternis. Nux tri-costata, rugulosa.


Generi *Hypolytro* L. C. Rich. proxima, a quo differt styli ramis tribus et nuce tri-costata. A *Thoracostachyo* et *Paramapania*, quibuscum stigmatum numero convenit, et structura florum et perianthio connato et nucis forma longe diversa, facilliter dignoscenda. *Mapaniae* potius affinis, sed ab omnibus speciebus huius generis inflorescentia a plerisque etiam perianthio connato discrepat.

Nomen generis a nomine insulae natalis derivatum est.

Species typica, adhuc unica:

Principina grandis Uitt., nov. spec.

Culmus (unus tantum adest) robustus, ultra 1 m longus, trigonus, laevis, sub inflorescentia scabriusculus, basi 4 mm, apice 3 mm diametro, 50 cm sub inflorescentia folio 3 cm lato, . . . basi in vaginam 8 cm longam angustato praeditus. Folium (an basale vel caulinum nescio) 120 cm longum, medio 3 cm latum, apice sensim acutatum, lineare, coriaceum, trinerve, nervo mediano supra impresso, subtus acute prominente, nervis binis principalibus crassis, viride, marginibus et nervo mediano parte inferiore laevibus, apicem versus parce scabris.



Principina grandis Utt. a) Inflorescentia. b) Ovarium. c) Flos. d) Nux. e) Diagramma.

Inflorescentia corymboso-paniculata, verticillata, anguste oblonga, 16 cm longa, internodiis acute trigonis robustis scabris, imo 6 cm, secundo 4.5 cm, tertio 2.5, quarto 1.5 cm longis, verticillorum ramis fere decem. Rami applanati, 1—1.5 mm lati, prophyllis lanceolatis membranaceis usque ad 7 mm longis basi valde turgidis cartilagineis flavescentibus praediti, scabriusculo, pro maiore parte nudi, apice corymboso-ramificati, ramulis inferioribus 1 cm longis spiculas plerumque ternas fasciculatas gerentibus, superioribus mox decrescentibus, 3—1-spiculiferis, summis brevibus 1-spiculatis, ramulorum prophyllis usque ad 3 mm longis, a bracteis paulo superatis. Verticillum infimum ramis 5 cm longis, bractea foliacea, 40 cm longa, 2.5 cm lata, trinervi, acuta suffultum, verticillorum superiorum bractee multo minores, 10, 3, 2.5 cm longae.

Spiculae ellipsoideae, 3—5 mm longae, 2—3 mm latae, multiflorae. Glumae 2.5 mm longae, oblongae, obtusae, nervo excurrente minute apiculatae, concavae, apice saltem coloratae. Florum perianthium 3 mm longum, utriculiforme, complanatum, vix carinatum, nervis lateralibus binis indistinctis, anguste oblongum, utrinque angustatum, glabrum, membranaceum. Stamina 3, uno anteriore, binis lateralibus, filamentis flaccidis linearibus, nervo mediano distincto obscuro, 4.75 vel 5 mm longis, longe exsertis, antheris fere omnibus jam delapsis, 1.5 mm longis linearibus. Ovarium juvenile anguste ellipsoideum, laeve; basi angustatum vix stipitatum, 1.25 mm longum, rostro angusto, oblongo-lineari 0.5 mm longo praeditum, stylo tenui, 1 mm longo, ramis 3, 1.25 mm longis, crassis e tubo perianthii exsertis. Ovulum unicum, basale, anatropum.

Nux (una tantum adest) subglobosa, basi acuta, apice acuminata, 3-carinata, 2.5 mm longa, lateribus convexis, rugis plerumque tribus longitudinalibus sinuosis praeditis, glabra, lutescens.

In insula Principe, in summo monte Pico Papagaio. Legit: A. W. Exell, nr. 703, dd. 29-XII-1932, alt. 2200 ped.

Typus in herbario Musei Britannici Londinis.

Haec species inflorescentia ramis densis subaequilongis quasi-verticillatim dispositis ab omnibus speciebus generum affinium distat.

Spiculae *Hypolytri* species, ut exempli loco *H. nemorum* P. Beauv. revocant. Perianthium connatum in *Hypolytro* usitatum, licet in illis semper carinatum et in carinis ciliolatum sit. Forma nucis ut in *Mapania africana* Boeck; rugae longitudinales sinuosae in speciebus africanis *Hypolytri* haud rarae.

Hypolytro anomalo Steud. (Syn. Pl. Glum. II, 1855, p. 133) ab Urvilleo in Insula Franciae (Mauritio) collecto etiam stamina 3 et styli rami 2—3 ascribuntur; aliis notis autem, ut "spicis in paniculis axillaribus subbinis", ovario puberulo, satis differt. Species semel tantum reperta nec planta a me visa.

Grandis vocetur haec species, quia culmi, teste collectore, septem pedes alti sunt.
